



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

6 Bigamia est impedimentum ordinum ob quatuor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

IRRREGVLARITAS, ut aliqui tenent, est censura ecclesiastica, quod tamen non est verum; quia censurae tres tantum sunt, ut in *cap. querenti, de verb. signif.* de quibus in precedenti capitulo, cui merito continuando, nunc de irregularitate est tractandum.

1 Irregularitas ideo, est canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proveniens, quo quis ad ecclesiasticos ordines promoveri, & jam promotus in iisdem ministrare prohibetur. *Specul. de dispens. si. juxta in princip. Couar. in 3. par. velle. sub tit. de homicid. in princ. Navar. in manual. cap. 27. num. 191. & Greg. Sayr. Thesau. cal. conf. lib. 6. cap. 1. num. 16.*

2 Dividitur irregularitas in quinque species, omissis multis modis doctorum dividendi, quae oriuntur ex quinque defectuum generibus, scilicet, Sacramenti, Corporis, Animae, lenitatis perfectae, & delicti; ut per Navar. *eod. manual. cap. 27. num. 192.*

3 Et non incurritur, nisi in solis casibus in jure expressis, ut *cap. is, qui, de sentent. excommun. in 6. & Grass. decis. aur. par. 1. lib. 4. cap. 27. num. 3.*

4 Primò irregularis ex defectu Sacramenti sunt irregulares, & ordinari non possunt.

5 Bigamia enim est impedimentum ordinum ob quatuor, de quibus scriptum supra, *cap. 4. num. 40.* Nam bis conjugatus non potest aptè significare unionem Iesu Christi cum Ecclesia, unica sua sponsa, *cap. debitum, & ibi gloss. in ver. sacramentum de bigam. id quod excellentia sacramenti ordinis meretur, cap. una, 16. distinct. & est signum incontinentiae, cap.*

proposuisti, 82. distinct. quodque ad persuadendum castitatem auctoritatem admittit, *de cap. una & Navar. in manual. cap. 37. num. 195. circ. princip.* Et quotuplex sit bigamia, quive ab ea absolvi possit, supra alio loco scripsi.

7 Secundò, defectus corporis pluribus modis efficit quem irregularem, ut abscissio, imbecillitas, vel deformitas cujuslibet membri principalis, etiam occulti: velut si essent pudenda abscissa; sive ipse sua sponte id fecerit, sive alius sua culpa, quia iussit, aut rogavit, aut quia dando operam rei illicitae, id casu contigit; vel in poenam alicujus delicti, aut à suis inimicis fuerit abscissum, *cap. si quis absciderit, cum seqq. 55. distinct. Navar. eod. cap. 57. num. 198. & Grass. cap. 27. par. 1. lib. 4. num. 39.* At si absque sua culpa quid tale evenerit, dummodo non sit factus inhabilis, nec deformis deformitate, quae scandalum pariat in populo, non inducit irregularitatem, *cap. ex parte 1. & 2. cap. signifi.avit, de corp. vitiat, cap. lator, ead. dist. 55.*

8 Quilibet etiam defectus, inhabilitas cujuslibet membri, quae inhabilem facit ad celebrandum, saltem sine notabili horrore, deformitate, aut scandalo, inducit irregularitatem; sive incurrat culpa prioris, sive sine culpa, *eod. cap. penul. & c. ultim. de corp. vitiat, & Navar. eod. cap. 27. nu. 200. vers. sexto dice.* Et quod quilibet deformitas notabilis sufficiat, ne quis debeat promoveri, tenet Abb. *in cap. 2. num. 2. de cler. agrot. vel debil.* Omnesque monstruosi; aut, qui plura capita, plures manus, & plures pedes solito habent, vel, qui excedunt debitum naturae, ut gigantes, vel pygmaei,